

V. Quicquid autem vel olim de istis Electoribus senserint Sectæ cæteræ, vel hodiernum alii de iisdem judicaverint; in præsens nobis, ad eripiendam omnem cavillationis occasiunculam, semel monuisse suffecerit: Eclecticorum Philosophorum nomine per totam hanc tractationem non alios nos intelligere, quàm eos qui non rejiciunt promiscuè quæcunq; ab aliis sectis earumque capitibus inventa sunt aut tradita, nec unius Ducis autoritate ita commoventur, ut ejus effata & dicta promiscuè probent & propugnent omnia; sed humani ingenii imbecillitatem agnoscentes, quæ ab uno aut paucis quibusdam hominibus omnes Naturæ & Rationis abyssos exhauriri nunquam patiatur, ab aliis quoque verum ex parte pervideri posse, junctisq; viribus & communicato consilio scientias augendas & stabiliendas esse, sibi persuadent, adeoq; quæ quemcunq; Doctorum, cuicunq; etiam Sectæ aliàs addictum, præ cæteris in hoc aut isto genere verius, aut vero saltem similiùs statuisse aut circumspectiùs observasse aut rectiùs arguisse, pervident, ea seligunt & probant, rejectis aut neglectis modestè cæteris; de suo porro, quantum vel experiundo, vel argumentando, vel hariolando possunt, subinde addunt: in his omnibus non temerè agentes quidquam, sed vocata ubique in consilium recta ratione, liberoq; ac defæcato mentis judicio, quippe quod nec amoris erga Magistros eorumq; dogmata singularia, qualia nulla habent, cœcus impetus, nec odium erga diversum sentientes, quod locum, ubi ille exulat, haut invenit, abripere aut à veri tramite divertere possit.

VI. Quamobrem hisce finibus nostris exesse jubemus non eos tantùm, qui nullo, aut parvo, aut immaturo adhuc judicio, varia diversorum Autorum placita, nullibi cohærentia, aliquando adversis frontibus pugnancia (cùm verum vero indissolubili demonstrationum & principiorum vinculo connecti necessum sit) imperitè congerentes, Centones